

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.

2n

2

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**RESVRRECTIONE
CARNIS**
ADVERSVS
ARTHVR. ASHLEY SYKESIVM.

PRAESIDE
**CHRISTIAN. GVIL. FRANCISCO
WALCHIO**

S. THEOLOG. DOCTORE ET PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO COLLEGII THEOLOGICI
H. T. DECANO

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

D. XXI. MAII CIOCCCLIX.

PVBLICE EAM DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIAN. AVGVST. HELMKAMPFFIUS

CLVSA - GANDESIENSIS

SANCT. DISCIPLINAE CVLTOR.

GOTTINGAE
EX OFFICINA SCHVLZIANA.

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
RESURRECTIONE
CARnis

ARNAUDVS ETIENNE ALEXANDRINUS

CHRISTIANUS FRANCISCO
MAGCHIO

A THEOLOGICO-DOCTRINALIS
LITERIS CHRISTIANIS CONCERNENTIBUS

ET A PROBLEMATICO-PRATICIS

ACADEMIÆ GREGORIVÆ AGATHA

DISSERTATIONE

LITERIS ETIENNE ALEXANDRINUS

VACATOR

CHRISTIANUS ARNSTHEI MIRVILLENSIS

DISCUSSIONE CATHOLICAE

DISCUSSIONE CATHOLICAE

GOTTINGER

DISCUSSIONE CATHOLICAE

VIRO SVMME VENERABILI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
IOANNI FRIDERICO
WILHELMO IERVSALEM
THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO
ABBATI RIDDAGESHVSEANO
SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIS AC
LVNEBURGENSIS CONCIONATORI AVLICO
PRIMARIO
NEC NON
DIRECTORI PERPETVO COLLEGII CAROLINI
ATQVE
VIRO SVMME VENERABILI
AVG. FRIED. MEIERO
SACRORVM BRVNSVICENSIVM ANTISTITI
PRIMARIO

PATRONIS SVIS OMNI PIETATIS CVLTV

NVMQVAM NON PROSEQVENDIS

HASCE PRIMITIAS CONSECRAT

MEL TANTORVM NOMINVM

PERPETVVS CVLTOR AVG
CHRIST. AVG. HELMKAMPFFIVS.



DISSERTATIO
DE
RESVRRECTIONE CARNIS
ADVERSVS
ARTHVR. ASHLEY SYKESIVM.

§. I.

Quod alii acuti rerumque periti iudices non sine ingenti animi dolore de theologis Anglicanis, quos nostra aetas magnis laudibus a ciibus efferri vidit, & amplissimis doctrinae virtutisque praemiis exornari, suspicati sunt, eos in tuenda optima christiana religionis caussa ita versari, vt ei plus ne noceant; an profint, dubium esse videatur, suo id exemplo confirmavit ARTHVRVS ASHLEIVS SYKESIVS. Hic quum vitam ageret, quam ann. CCCCLVI. finiuit, non solum doctoris theologiae titulo dignitateque fuit conspicuus & in regia Londinen-

A

sium

DISSERTATIO

sium vrbe sacrum munus, diuinam voluntatem aliis
nuntiandi, administravit, sed etiam ingenii moni-
mentis, quae hostibus doctrinae christianaee, Collin-
sio, maxime opposuit, id consequutus est, vt inter
celebratissimos veritatis vindices, & doctores Angli-
canae ecclesiae, quae episcopis subiecta est, ἐγθεό-
ξει magno aliorum consensu referretur. Nihilomi-
nus eum ita laude & purioris doctrinac commenda-
tione parum dignum & longe alienum fuisse ab am-
plicienda, quae diuino codice continetur, credendi
agendique disciplina, aliis libris & commentatori-
bus demonstrauit. Nolumus hoc loco de ista senten-
tia dicere, quam de δειμονοζουενοις, in libris noui fo-
deris commemoratis, animo concepit & scriptis pro-
posuit, nec de ficta a SYKESIO errorum innocentia,
quam contra alios, qui illi iure contradixerunt, defen-
dit; neque ea referre, quae contra MIDDLETONVM de
miraculis, & contra WARBURTONVM de nonnullis,
quas hic adulit, quum Mosen diuinitus ablegatum
fuisse, comprobare vellet, opinionibus παραδοξοις dis-
putauit, siquidem de his litibus rite iudicare, nimis
longum, certe ambiguum relinquendum foret, quis-
nam ex illis a veritate discesserit. Alia de SYKESIO
nobis monenda sunt. Lepide is sibi persuaserat, fo-
re, vt facillime animi, sanctiori christianorum doctri-
nae infensi, cum hac concilientur, modo si vellent
eius patroni nonnullas partes fidei abiicere: saltem eas
questiōnū controvēsarū interpretationes pro-
scribere, quae infelices istos homines offendērēt.
Ridiculum sane multum videbitur, a viro graui veri-
iustique studiose tales pacis conditiones potuisse pro-
poni,

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

poni, quae vt in eum suspicionem prodictionis iustae cause commoueant necesse est, neque excusari posse intempestivum & iniquissimum concordiae studium, arbitramur; nisi SYKESIVM credideris, senio ingenii iudicijque fecisse iacturam. Certum enim est, virum istum rei fecisse periculum & breuissimo tempore, antequam ex hac vita migraret, tum *commentariis*, quibus *epistolam ad Ebraeos* illustraueritne; an corruperit, nescimus; tum *libro singulari de redemtione hominum per christum*, omni opera in eo elaborasse, vt totam doctrinam & quaevis argumenta, in quibus illa innititur, de satisfactione vicaria nobis eriperet eamque cum somniis suis, Arminianis longe peioribus, commutari suaderet a).

a) *quae de SYKESIO breuiter sumus complexi, uberiori enarrantur a GEORG. GUIL. ALBERTI epistolis Germanicis de praesenti statu religionis littera. in mag. Brit. p. 764. SIGISM. IAC. BAVMGARTENIO in den Nachrichten von merkwürdigen Büchern Vol. X. p. 389. V. S. V. WALCHIO biblioth. theol. vol. L p. 761. 789. 917. IO. ANDR. CRAMERO in der Erklärung des Briefes Paulli an die Ebraer proleg. p. 46. seq. & V. S. V. PRAESIDE in Compend. hist. eccles. recentiss. p. 346.*

S. II.

SIMILI modo dogma de futuro mortuorum ad pristinam vitam redditu SYKESIO ita displicuit, vt illud ex numero articulorum fidei eximendum esse iudicaret. Quae de isto commentatus est, ea quidem quominus in publicam lucem emitteret, mors eius impedimento fuit, attamen fratrem suum libelli sui reliquit tutorem; neque hic partibus suis defuit; sed

A 2

Lon-

Londini ann. CCCCCCLVII. breuem illam commen-
tationem formia octaua litterarum formis exprimen-
dam curauit, eamque ita inscripsit: *an Enquiry when
the resurrection of the Body or flesh, was first inserted
into the publik creeds. By the late Arthur Ashley Sykes
D. D. publighd from the Author's manuscript by his brother
C. Sykes A. M. hoc est, disquisitio de tempore quo do-
ctrina de resurrectione corporis; sive carnis primum
illata fuit symbolis publicis, cet.* Quamuis quaestio,
a SYKESIO proposita, his verbis sit concepta, vt hi-
storica esse videatur, & potissimum ad formulam: *cre-
do resurrectionem carnis,* quae in symbolo, quod
honorifico Apostolici nomine vtitur, expresse legitur,
referri; nec negare nobis animus sit, de hoc argu-
mento ita posse disputari, vt ipsi dogmati de resurrec-
tione mortuorum nulla inferatur iniuria; longe ta-
men aliam, quam historici, personam SYKESIVM su-
stinere voluisse & vere gessisse, clarissimis signis com-
pertum habemus. Etenim quum in praefatione, libello
praemissa, breuiorem fuisse A postolica aetate fidei chri-
stianae formulam, postea autem, dixisset & nonnulla
vera, plura falsa adulisset, adiecit conclusionem, vbi
doctrina christiana ab hostibus eius impugnetur, se-
cundo esse inquirendum, num in illis, qui *incredibilia*
a christianis credi existiment; an in illis, qui *humana
commenta pro doctrinis diuinis doceant, culpa sit?* Sic
aperte profitetur, quo loco numeroue articulum il-
lum de resurrectione haberi cupiat a) sed apertius men-
tem declaravit in ipsa opusculi clausula. Satis esse,
putat docere homines, christum venturum esse ad iudi-
candos viuos & mortuos: inanem esse quaestionem
de

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

5

de corporibus resurgentium: causam, cur incrementa capiat *ansia*, hanc esse, quod symbolum christiano-rum contineat dogmata, rationi & sensui communis repugnantia, b) cetera. Num quaeſo putaueris, nos viro docto iniuriam inferre, libere profitentes, eum salutarem doctrinam de resurrectione corporum, in qua magna pars noſtræ ſpeſi eſt reponita, euertere voluſiſ; aut male nos acturos eſſe, quum in confutandis SYKESII commentis, noſtram diligentiam collocare iubet.

a) haec ſunt eius verba, quae claudunt praefationem, and if any obſection is an obſtruction to the reception of christianity by any person whatſoever, it may merit conſideration where the fault lies, whether in those who do not believe christianity, because it ſeems to them (as it is repreſented) to contain doctrines incredible, or in thoſe who teach for doctrines the commandments of men.

b) p. 50. 51.

§. III.

SYKESIVS bene ſibi temperauit, quo minus ex-
pressis verbis negaret, in scriptura ſacra promitti re-
ſurrectionem mortuorum; ſed aliam ingressus eſt ra-
tionem, contra eam diſputandi, vt, ſi vera eſſent,
quae comprobare iuſtituit, ipſa haec doctrina cade-
ret, & omnem amitteret auctoritatem. Subtilius di-
ſcerni iubet reſurrectionem mortuorum & reſurrec-
tionem corporis; ſive carnis. Illam in effatis caeleſti-
bus tradi, concedit; hanc vero ne vno quidem ver-
bo commemorari, adfirmat a). Primaria haec eſt
Sykesii ſententia, quam aliis quoque placuisse, memi-
nimus. At vero nullo loco perſpicue explicat, qua-

A 3

lem

lem illam mortuorum resurrectionem futuram esse, credat; nec significat, num homines tempore iudicij extremi corporibus induendos; an illis carituros esse, aestimet. Quare patet, nullam nobis imponi necessitatem, falsam huius articuli interpretationem confutandi; ignoramus enim, quid vere de eo noster statuat, sed omnem potius in eo curam esse ponendam, ut rectam doctrinam ab obiectionibus SYKESII defendamus. Speramus, immo firmiter credimus, futurum esse, ut eadem corpora, cum quibus immortales hominum animae coniunctae, quaeue, soluto morte vinculo illo naturali, in puluerem redacta fuerint, ad pristinam vitam Dei infinita potentia reucentur, denuo cum animabus copulentur, ideoque integri homines aut perpetua felicitate fruantur; aut aeternis adficiantur suppliciis. Ita credimus; nec infitiamur, credi haec oportere, non demonstrari rationibus ex natura rerum peritis; nec modum, quo Deus ista omnia effecturus sit, explicare, audemus. Mysterium enim est resurrectio mortuorum & simul miraculum, quae nec intellectu nostro capi, neque ullius creaturae viribus effici potest. Ut rem distinctius proponamus, vti libet formulis, in scholis theologicis vsu receptis. Non disputatur de veritate resurrectionis mortuorum, quaccunque sit huius vocis notio, sed de corporum resurgentium identitate: haec vero quum sit vel *specifica*, vel *numerica*, maxime queritur de identitate numerica. Quam quum docemus, non negamus, essentialia ab accidentalibus recte distingui mutationemque corporum futuram, quam & *scriptura sacra* spondet, & ipse status tam bea-

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

7

beatorum, quam damnatorum postulat, non pati, vt perfecte eadem sint corpora resurgentium. Sufficit ea, quae ipsam corporis humani essentiam constituant, ex statu mortis in vitam restitui; nec noua corpora creari; sed eadem, quae nunc spiritu nostro reguntur, reddi oportere. b).

a) Sic ait p. 6. if we look into our Saviour's preaching, he never calls this otherwise than the resurrection of or from the dead. p. 7. it may appear strange that so often as mention is made of the resurrection of the dead in new testament, not once is there any mention of the resurrection of the Body or of the flesh. Similia p. 8. seqq. repetuntur.

b) nobis non est animus, hoc loco vniuersam doctrinam de redditu mortuorum futuro explicare eodemque labore denuo fungi, in quo ii omnes versati sunt, qui theologiam dogmaticam; aut catecheticam tractarunt; neque exiguum est eorum numerus, qui tam ex nostris, quam ex reformati coetus doctoribus locum hunc singularibus libellis persequuti sunt, laudati a I.O. A.L.B. FABRICIO in delectu argumentorum & syllabos scriptorum de veritate religionis christiana p. 706. seqq. & V. S. V. I.O. GE. WALCHIO biblioth. theolog. Vol. I. p. 137. & p. 283.

§. IV.

QVAECVNQVE contra hanc de identitate corporum resurrectorum numerica doctrinam prolata fuere, duplicitis generis sunt argumenta. *Alia* ita comparata sunt, vt potissimum talem resurrectionem $\alpha\delta\pi\omega\tau\sigma$ esse, probare debeant. Neminem quidem, credimus, ausum fuisse adfirmare, rem a parte agentis fieri non posse; sed omnes

qui errorem rationibus confirmare, ausi sunt, impossibilitatem a parte rei vrgere consueuerunt. Sed vanam esse horum hominum operam, veritatis vindices luculenter demonstrarunt, qui in Socinianis hac de re commentis confutandis studia sua collocarunt; a) neque existimamus, ἐνεργεια illud physicorum recentioris aeuī de perpetua partium humani corporis permutatione recte nostrae doctrinae posse obiici, modo si illud recte explicetur b). His vero argumentis quum SYKESIVS non vsus est, nec a nobis iure videtur expectari posse, vt in percensendis illis conuelendisque longiores simus. *Alia* obiiciuntur veritati huius doctrinae, ita vt, qui erroris sui quaerunt praesidia, non infipientur, deum posse corpora mortuorum restituere; sed nullam, credant, subesse caussam iustam & certam, cur, eum velle eadem corpora, in cinerem & puluerem redacta, ad pristinam vitam reuocare, nobis persuadeamus. Atque ad hanc classem referri oportet SYKESIVM, qui potissimum & ingenii vires & insignis doctrinae copiam ad contulit, vt nouam, & a doctoribus veteris ecclesiae, qui seculum post virginis partum secundum illustrarunt, fictam esse opinionem de identitate corporum resurgentium, demonstraret. Quodsi licet sententias Sykesianas in breuem quasi summam contrahi, eas hoc ratiocinio comprehendi, patet. Quocunque dogma est nouum, illud pro parte doctrinae christianaec, diuinitus patefactae non potest haberi: multo minus ab aliis, vt credant illud, iure postulari; aut ii, qui illud negant, condemnari debent. Hoc quum ad doctrinam de resurrectione corporum futura ad�licat, necesse

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

9

necessere est,, vt eam nouam & humanum commen-
tum esse, ostendere studeret. Id quod vt esficeret,
ad bina generatim prouocauit argumenta. Alterum
repetit ex silentio scripturae sacrae , ita vt istam do-
ctrinam neque a christo, neque a legatis eius vñquam
propositam fuisse, statuat, alterum ex institutis veter-
is christiana ecclesiae accepit, quam commemora-
tum dogma inter partes religionis suae, quas scitu
credituque iudicauerit necessarias, neutiquam nume-
rassae, sibi persuasit. Num de vtroque capite recte
sentiat; nec ne, definite dispiciemus.

- a) conf. ex nostris ABRAH. CALOVIVM *focinism. pro-*
fig. p. 1013. seq. IO. ADAM. SCHERZERV M colleg.
anti- Socinianor. p. 1260, ex reformatiis IO. HOORN-
*BECKIV M *focinism. confutat T. III. p. 547. & SAM.**
*MARESIV M *in hydr. focin. expugn. T. II. p. 324. sqq.**
vt de theologiae polemicae yniuerfae scriptoribus tacea-
mus.
- b) ARTH. BVRIV M *in latitud. orth. part. II. cap. 4. p.*
131. hoc arguento contra nostram doctrinam vñsum esse,
*beatus IO. FRANC. BVDDEVS in *institutionib. theol.**
*dogmaticae lib. II. cap. 3. §. 21. monuit, is vero *þno-**
ðeov istam non satis perspexit, quam explicauit copiosius
IOANNES BERNOVLLIV S *in diff. de nutritione hu-*
mana §. XVI. seq. Tom. I. Oper. p. 275. sq. & ex BER-
NOVLLIO celeberrimus HERM. SAM. REIMARVS
in den vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Reli-
gion cap. 6. §. 2 p. 418. Ex illis vero, quae vterque
hac de re disputauit, id clarissime patet, semper non
nullas particulas corporis nostri amitti, nouasque acce-
dere, & certissime quotidie particularum fieri mutatio-
nis, sed nullas plane esse constantes & perpetuas, quae
singulis corporibus dici possint propriae, nostro quidem

B

iu-

DISSERTATIO

iudicio ex ipsis principiis non potest concludi. Neque existimamus, si quis vel per centum annos in vas, vino refertum, quotidie tantam aquae quantitatem, quanta alimentis corporis humani respondeat, fuderit, fieri posse, ut plane nulla supersit vini particula. Quotidie enim ex vase illo non solum particulae vini, sed etiam aquae, quae diebus antecedentibus adfusa fuit, effluent. Hinc colligi posse, arbitramur, quamvis quotidie alimenta nouas particulas corpori nostro addant, & secretiones pristinas abiiciant, nihilominus certas perpetuo manere corpori proprias. Possunt ergo particulae corporis mutabiles & immutabiles discerni, ex quibus haec ad consiliuendam corporum resurgentium identitatem numericam sufficiunt. Quæstiones vero de statura istorum corporum, quæ ad eorum formam, non materiam, spectant, a nostro loco alienæ sunt.

§. V.

PRIMV itaque disquiri oportet, num recte docet SYKESIVS, a) in libris noui foederis nullam fieri resurrectionis corporum mentionem. Fateri enim oportet, eam minus recte inter articulos fidei a nobis referri, si effatis scripturae sacrae comprobari nequeat. Quum SYKESIVS in hac disputatione negantis partes sustinet, facile patet, nobis, quum adfirmamus ea, quae is initiat, necessitatem esse impositam, sententiam nostram iustis rationibus comprobandi; neque officio nostro deesse libert. Antequam fungi eo adgrediamur, pauca vniuersitate contra virum doctum monere liceat. Praecipuum opinionis suae praesidium in eo vult esse collocatum, quod scriptura sacra doceat resurrectionem mortuorum; non resurrectionem

DE RESVRCTIONE CARNIS.

11

nem carnis. Vrget *tōentor & negligit t̄n̄ d̄c̄vōcē* verborum, quibus caelestia effata expressa sunt. Quodsi ratiocinationibus suis probandi vim inesse credidit, cur, quaeſo, nullam adiecit formulae, quam roties repetit, interpretationem. Num deus voluit verba a nobis ore proferri & auribus percipi, neque ea intellegi? Quare concludimus, niſi vera certaque formulae scripturae sacrae, qua resurrectio mortuorum significatur, sententia constituatur, eam plane nihil ad expediendam controuersiam conferre. Commisit ergo vir clarissimus illud vitium, quod in scholis petitio principii vocatur. Ponit enim, discrimen esse inter voces resurrectionis mortuorum, & resurrectionis corporis, sed tale exſttere discrimen, non comprobatur. Deinde nescimus, num ignorantiae eorum, quae ab aliis disputauit fuerunt, an malitiae tribendum sit, quod primaria nostræ opinionis argumenta ſilet, & ne plane nihil hauc in rem dixisse videatur, copioſe demonstrat, verba Paulli Eph. V, 23 non poſſe de resurrectione intelligi. b) Rechte ita quidem, ſed quis quaeſo, ex iſtis nostræ ſententiac voluit parare praefidium?

a) p. 4. it wil be necessary to observe, that there is not any ſuch expression in the new testament; no, nor of what we have in our creeds --- and in our catechism, the resurrection of the Body; or as it is in the baptismal creed, the resurrection of the flesh.

b) P. 7.

§. VI.

COLLIGEMVS igitur testimonia scripturee sacrae,
B 2. *Resurrectione*
quibus

quibus persuasos nos esse sentimus, futuram esse resurrectionem corporum mortuorum, numerice eorundem. Quum eorum certas classes constituere libet, ad primam ea caelestia effata referimus, quibus apertis expressisque verbis docetur, corpus resurgentium idem fore, quod in hac vita cum anima eorum fuit coniunctum. Non dubitamus, illustrissimum effatum 10 BI XIX, 25. 26 proferre, quo fiduciam suam futurae resurrectionis declaravit. Quamuis enim non ignoremus, quanta sit doctissimorum virorum de sententia celebratissimi loci rite definienda a) discordia quantusue eorum sit numerus, qui istum de corporum redditu intelligi nolunt, b) nobis tamen ita semper visum fuit, omnem orationis sancti viri vim negligi; nisi cum maxima interpretum parte faciamus, qui ista verba de resurrectione mortuorum interpretantur c). Hoc si ponitur, pars illa, qua se ex carne sua Deum visurum esse, 10 BVS prouuntiat, luculenter docet, 10 BVM sui, non alieni corporis resurrectionem expectasse. Clariorem tamen esse, non insitiamur, quam Paullus data opera litteris tradidit, de hac quaestione disputationem. Etenim quum nossset, a Corinthiis contra doctrinam de mortuorum redditu, obici illud dubium, πῶς ἐγειρούται οἱ νεκροί; 1 Cor. XV, 35. omnem operam in eo collocat, ut ad id rite respondeat. Quare binas explicat, & argumentis confirmat propositiones, bene inuicem distinguendas: alteram, futuram esse corporis mutationem; alteram, nihilominus easdem particulas corporis substantiales ad pristinam vitam reddituras. d) De priore parte hoc loco nulla est disputatio. Quare id unum monuisse sufficit, quaecumque Paullus v. 36-49. adulit, tum

ar-

argumenta; tum exempla, omnino corporum discrepantium praesentium a futuris demonstrare, at vero non essentiale; sed accidentale. In posteriore ergo eae occurruunt formulae, quae identitatem corporum numericam insigniter declarant. Ait enim *deι γαρ το φθαρτον τετο ενδυσαδαι αφθαρσαι καὶ το θυητον τετο ενδυσαδαι οθωσαι* v. 53, eademque v. 54. repetit Num quoefo corpus hoc *mortale & corruptibile*, quod resurrectorum esse docet, numerice diuersum esse posse credideris ab hoc corpore, quo nunc utimur. Idem Apostolus Phil. III, 21. eodem modo scripsit, christum *bumile nostrum corpus transfiguraturum esse*; nec fieri potest, quin idem numerice nostrum corpus significare volnerit. Addimus simillima verba PAVLI: *spiritum viuificaturum esse τα θυητα σωματα*, Romanor. cap. VIIl, 11.

- a) conf. FRID. SPANHEMIVM hifl. Iobi cap. 13. &
AVGVST. PFEIFFERVM dub. vexat. p. 506.
- b) Quibus nuper se adiunxit doctiss. scriptor obseruation, miscellaneas. in lib. Iob. p. 49. seq.
- c) praeter interpretes lib. Iobi SEB. SCHMIDIVM, IO. AD. HOFFMANNVM, ALB. SCHVLTENSIVM, & SIG. IACOB. BAVMGARTENIVM, legantur. IO. GEORG. ABICHTII diff. de goele Iobi Lipp. ann. C1510CCXVIII. PAVLLI ERN. IABLONSKI disput. de redemptore stante super puluarem, Francof. ad Viadr. ann. C1510CCXXII. CHRIST. BENED. MICHAELIS diff. de sensu verborum Iobi, Hal. ann. C1510CCXXXV. IO. MARKIVS exercit. textual. p. 101. IO. FR. BVD-DEVS hifl. ecclcs. vet. Tefl. Tom. I. part. 1. sect. 3. §. 16. & THOM. SHERLOCKIVS in the use and intend of prophecy diff. II. p. 257.
- d) Conf. IO. LAVR. MOSHEMII Erklärung des ersten Briefes Paulli an die Corinthier p. 990.

§. VII.

DISSERTATIO

§. VII.

AD secundam classem spectant ea scripturae sacrae loca, quibus de corporibus, ad cineres redactis, adfirmatur, ea esse ad pristinam vitam reuocanda. Subiecta resurrectionis Daniel adpellat מְשֻׁנָּן אֶדְמָת-עַפֵּר XII, 2. & christus οὐτας τεσ εν μυμεοις Ioann. v, 29. Simili modo Ioannes apocal. XX, 13. vaticinatur, futurum esse, ut mare & sepulcra mortuos reddant. Quae si vera sunt, vti sunt, iustissimam naecti sumus caussam, ita ratiocinandi: corpora resurgentium sunt ea, quae in puluere, in sepulcris & in mari sunt condita; atqui haec numero eadem sunt, quae in hac vita geſſimus: E. corpora resurgentium cum his numerice eadem sunt. Tertiae classi adscribinus sententiam in scriptura sacra ſaepillime traditam Rom. VIII, 11. 1 Cor. XV, 45-49. Philip. III, 21. talia fore resurgentium corpora, quale fuit corpus christi ex morte reducis. Atqui certissimum est, christi corpus ex sepulcro excitatum numerice idem fuſſe cum eo, quo ante mortem uſus est. E. noſtra etiam corpora numerice eadem ſunt resurrectura a).

- a) Conferantur ex nostris I. O. GERHARDVS loc. theolog. Tom. VIII, p. 26. seqq. I. O. ANDREAS QVENSTE-DIVS system. theolog. part. IV, p. 582-598. I. O. AD. SCHERZERVS system. theolog. p. 579. & S. V. I. O. GEORG. WALCHIVS miscell. sacra p. 282. ex reformati HERM. WITSIVS exerc. XVI. in symbol. apost. §. 15. seqq. & FRANCISC. BVRMANNVS synops. theolog. tom. II, p. 590. seqq.

§. VIII.

DE RESVRECTIONE CARNIS.

15

§. VIII.

HAE sunt dicta diuina, quibus illa phrasis *ἀναστάσεως τοῦ νεκροῦ* ita explicatur, ut de vera eius sententia dubitari nequeat. In ea quidem SYKESIVS erroris sui praesidium constitutum sibi persuasit adeoque diligentius collegit illa oracula, in quibus mortuos resurrecturos esse, dicitur. Cuius generis sunt: *act. XVII, 18. 1. Cor. XV, 12, 23, 30. act. XXIV, 15. Math. XXII, 31. Luc. XX, 27. seqq. Ebr. VI, 2. Math. X, 8. act. XXVI, 8. 1. Cor. VI, 14. 2. Cor. IV, 14.* & similia. Licet ex his, quae antea dicta sunt, rectissime concludatur, vocis illius notionem neutiquam tam esse posse, ut resurrectioni corporum recte opponatur; nihilominus ipsae quoque dicendae formulae, quibus mortuorum resurrectio significatur, ita comparatae sint, ut si catere nos oportuisset exposita spiritus sancti interpretatione, nihilominus istis nullam aliam subiectam esse sententiam, crederemus. Omnes enim istae formulae docent, *mortuos esse resurrecturos*. Quamuis largiamur, *subiectum quod mortis naturalis esse hominem integrum, ex corpore & anima compositum; nihilominus patet, quod nec SYKESIVS; nec aliis quisquam, qui immortalitatem animae concedet negare, audebit, subiectum quo esse corpus, non animam. Atqui subiectum quo mortis naturalis est etiam subiectum quo resurrectionis. E. corpus est subiectum quo resurrectionis. Pari modo scripeura docet, mortuorum futuram esse ἀναστάσεως νεκροῦ ἐγειρονται, cetera.* Nihil resurgit, quod antea non ceciderit: A. *corpus, non anima, cecidit. E. corpus resurget a).*

a) Hinc

DISSERTATIO

a) Hinc digna fuit, quae constantissime a theologis repetetur, IOANNIS DAMASCENI VOX: *ανεργοις της πεπτωκοτος δευτερας γαστρος de orthodox. fid. libr. IV. cap. 28.*

§. IX.

Quod si haec vera sunt, vti sunt, facile patet, alteri, quo vsus est SYKESIVS, argumento nullam inesse virtutem, probandi, nouam esse de resurrectione carnis doctrinam. Prouocat enim ad exemplum veteris ecclesiae christiana, quam, negat, dogma illud pro articulo fidei habuisse, & vt hanc sententiam confirmaret, symbola antiqua protulit, quibus resurrectionis carnis nulla facta sit mentio, magnamque in eo collocauit curam, vt recentiore aetate particulam symboli: resurrectionem carnis fuisse additam, demonstraret. Antequam dispiciamus, num vere ea probauerit, quae probare voluit, pauca hoc loco vniuerse disputari oportet. Primo loco περτον Φευδος sententiae SYKESIANA L conuellendum, quod ex opinione nascitur, hoc fuisse antiquioris christiana disciplinae institutum, vt cultores eius symbolis suis omnia dogmata amplectenterentur, quae ad salutem consequendam iudicauerint necessaria; ea vero, quae sine salutis periculo velignorari; vel negari posse existimauerint, negligenterent. Quanuis enim SYKESIVS caussas condendorum augendorumque symbolorum veterum bene perspectas habuerit, siquidem eas ex vsu baptismali & necessariis studiis, prauis haereticorum opinionibus contradicendi, repetit; a) alibi tamen aperte declarat, se esse in hac opinione, nullum creditum fuisse

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

17

isse fidei articulum, nisi qui apertis verbis in symbolis fuerit expressus. b) Videri quidem posset haec quaestio λογομαχη esse simillima, siquidem ex notione vocis *articuli fidei* diiudicanda; nihilominus hoc loco verum intercedit inter nos & SYKESIVM sententiarum diffidium. Negamus enim, quod is adfimat, veteres christianos omnia dogmata, quae in symbolis omissa erant, pro non necessariis habuisse, adeoque singulis libertatem reliquisse, ea vel amplectendi vel reiiciendi; vel hoc vel alio modo accipendi. Accedit, ex ὑπόθεσι SYKESIANA hoc consequi, quod itidem tradit, ut additamenta symboli, pedetentim facta, non nisi opiniones priuatae doctorum fuerint, antequam magna, qua pollebant, auctorite impetrarent, ut numero articulorum symbolorum adiicerentur c).

a) conf. praefat. & initium opusculi.

b) p. 9.

c) v. c. p. 23. & alibi passim.

§. X.

Quamvis nimis longum foret, origines symbolorum veteris ecclesiae hoc loco excutere & suis explicare, pauca tamen ut moneamus, necesse est I). Lubentissime concedimus SYKESIO, & formulam baptismalem, a christo praecriptam *Martb. XXVIII, 19.* & fidei professionem a catechumenis iisque competentibus edi solitam prima symbolorum fuisse fundamenta: adeo antiquissimum symbolum, modo si nomine hoc vsum sit, simplicissima repetitione formulae baptis-

C

malis

malis constitisse; cetera vero additamenta pedetem-
tim accessisse, ita ut singula singulis haereticis essent
opposita. *a)* II) Atvero negamus, symbola in eum
finem fuisse condita; ut singula dogmata amplecten-
tur, quae ecclesia iudicauerit scitu necessaria. Id quod
contrarium est, non solum ex ipsa symbolorum ori-
gine patet, siquidem longe alia est caussa formulae
baptismalis; quam ut breuem summam articulorum
fidei exhibeat; sed etiam aliis rationibus confirmatur.
Quamuis enim SYKESIVS credat, aliisque persuade-
re velit, ante baptismum nulla alia doctrinae christi-
anae capita fuisse catechumenis tradita; aut ab his ut
crederent ea, postulatum; quam ea, quae in symbo-
lo expressa fuerint, secus tamen rem se habere, claris-
simis constat historiae ecclesiasticae testimonii. Apo-
stolorum aevo quaenam fuerint doctrinae cateche-
tiae capita, ex Ebr. VI. 1. 2. facile colligitur, licet
& probabile sit & ex aliis apostolorum locis recte con-
cludatur, cetera dogmata neutiquam neglecta fuisse.
b) III) Normam non fidei; sed professionis fidei
quum symbola exhiberent, qua de consensu membro-
rum cum ecclesia iudicari eaque ab haereticis disser-
ni possent *c)*, sufficiebat, ea dogmata enarrari, in qui-
bus orthodoxi ab haereticis discrepabant. IV) Hinc
silentium symbolorum de articulis christiana non pro-
bat, eosdem fuisse ignoratos; aut neglectos; sed de
illis nullam fuisse cum aduersariis controuersiam. Qua-
re factum est, ut symbola variarum ecclesiarum inter
se different, quum v. c. in orientalibus prouinciis
exortae lites religiosae, quae in occidente prorsus
ignoratae erant. Cuius rei seruata nobis variarum
eccle-

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

19

ecclesiarum symbola exhibent testimonia; modo si secum rite comparentur d). Non possumus igitur non vniuersitate symbolis veteris ecclesiae id adfirmare, quod alii de symbolo apostolico, sive potius Romano, ostenderunt, neque illud omnia, quae scitu sunt necessaria, comprehendere; neque ea, quae enarrat, capita ad salutem impetrandam absolute esse necessaria e).

- a) ex formula baptismi. ortum ducere symbolorum usum eademque propter necessitatem, haereticis contradicendi, sive potius membra ecclesiae purioris ab illis distinguendi, fuisse aucta, recte docent PET. KINGIVS his symb. apostol. cap. 1. §. 24. seqq. THOMAS ITTIGIVS select. capit. hisl. eccles. secul. I. cap. III. sect. 1. §. 6. & V. S. V. IO. GEORG. WALCHIVS introd. in libr. symb. eccles. Lutheran. lib. I. cap. 2. §. 4.
- b) Conf. V. S. V. WALCHII diss. de institut. apost. catechet. §. 17. seqq. ip. 8. miscell. sacr.
- c) Conf. ven. IO. RUDOLPH. KIESLINGIVM hisl. de usu symbol. p. 33.
- d) Conf. GERH. IO. VOSSIVM de tribus symb. diss. I. §. 30. seqq.
- e) Conf. ex nostris ABRAH. CALOVIVM in syncretismo Calixtino p. 99. & V. S. V. IO. GEORG. WALCHIVM introd. in libr. I. cap. 2. §. 9. & symbol. libr. ex reformatis HERM. WITSIVM exercit. II. in symbol. apost. §. 18. seqq.

§. XI.

Ex his itaque consequens est, vt, si vera esset etiam SYKESII sententia, nullam fieri in antiquissimis symbolis resurrectionis corporis mentionem, nihilominus falsa sit, quam adhibuit, ratio concludendi,

C 2

ignora-

ignoratam ista aetate hanc doctrinam. Audire nunc libet, **SYKESIVM**, argumentum suum probantem. Quae hanc in rem disputauit, eorum haec est summa: patres apostolicos, **CLEMENTEM Romanum**, **BARNABAM** & **IGNATIVM** commemorare non nisi resurrectionem, aut *resurrectionem mortuorum*: a) **IVSTINVM** martyrem expressis verbis docere *resurrectionem corporum omnium hominum, qui fuerunt*; sed protulisse haec, non tamquam partem *symboli publici*; sed tamquam opinionem priuatam b): **POLYCARPVM** tacere de corporibus; sed commemorare quidem ea *epistolae de martyrio eius ad Smyrnenses* auctores, sed itidem perinde eorum ac **THEOPHILI** *Antiocheni* hac de re effata esse sententias priuatas, non publicas: c) idem esse de **IRENAEO** sentiendum, qui bina recitauit symbola, alterum breuius, quod tertio articulo prorsus caret, alterum longius, quo resurrectionis carnis aperte docetur: d) item de **TERTVLLIANO**, qui simili modo tria adulit symbola, vnum sine mentione resurrectionis carnis: bina, quo aperte docetur: e) **ATHENAGORAM**, **TERTVULLIANVM**, & **THEOPHILVM** contra argumenta profanorum honinum comprobasse, posse fieri, vt mortuorum corpora ad pristinam vitam redeant f), suaque auctoritate effecisse, vt alii eos sequerentur, & communis ecclesiae euaderet haec doctrina, licet in symbola nondum illata fuerit: **ORIGENEM** in eadem suis sententia, quamvis symbola, quae ipse recitauerit, de ea silent: g) **CYPRIANVM** exhibere fragmenta symbolorum, in quibus itidem nihil de resurrectione carnis sit dictum; neque eam commemorari in symbolo **GREGORII**

THAV-

DE RESVRCTIONE CARNIS.

21

THAVMATVRGI: i) seculo quarto symbolum ALEXANDRI, praefulis *Alexandrini*, tantum docere resurrectionem mortuorum: k) omitti hunc articulum plane in symbolo Nicaeno, l) & EVSEBIIM: ARIVM in symbolo, quod Constantino exhibuerit; omnium primum expressisse doctrinam de resurrectione carnis n) simili modo resurrectionem corporum commemorare symbolum in concilio Romano ann. CCCXXX condito: o) ex quatuor symbolis concilii Antiocheni ann. CCCXXXI non nisi secundum formulam resurrectionis carnis exhibere: p) ex tribus exemplis symboli, in concilio Philippopolitano ab orientalibus compositi, vnum, ab HILARIO recitatum, eandem continere; sed illud videri haud esse germanum: q) symbola Sirmiensia singula omittere eam: r) corruptum esse ATHANASII locum, quo corporis christi, non nostri resurrectionem docuit: s) nihil de resurrectione tradi in symbolis conciliorum Ariminensis & Seleuciensis t) & Constantinopolitani, u) EPIPHANIUS x) & synodi Constantinopolitanae, ann. CCCLXXXI coactae: y) licet utrumque posterius resurrectionem mortuorum credi iubeat: ATHANASIVM & CYRILLVM Hierosolymitanum omnino doctrinae de resurrectione carnis fauisse: z) in ecclesia occidentali Romanum symbolum docuisse: resurrectionem carnis, Aquileiense: huius carnis aa): postremam formulam tandem etiam in symbolo inueniri, quod constitutionibus apostolicis insertum legitur bb).

a) p. 9. b) ibid.
12. c) p. 20. seqq. d) p. 11.
e) p. 13. f) p. 18. g) p. 19. h) p. 21.
i)

DISSERTATIO

- i) p. 22. k) p. 22. 23. l) p. 23. 24. m)
 p. 24. n) p. 26. 27. o) p. 29. p) p. 30.
 q) p. 33. r) p. 36. s) p. 39. t) p. 40. 41.
 u) p. 41. x) p. 42. y) p. 43. z) p. 45.
 aa) p. 46. bb) p. 47.

§. XII.

MULTA hoc loco a SYKESIO docte & eleganter
 fuisse disputata, satis patet; sed si vera fateri licet,
 arte usus est, ea, quae inter se distant, confundendi: ve-
 ra cum probabilibus; aut falsis miscendi adeoque le-
 ctores imperitos fallendi. Nolumus istas orationis
 eius partes attingere, quae animum, Arianae fa-
 ctioni nimis studiosum, produnt; a) sed potius ad
 rem accedere, quae in controversiam vocatur. Non
 negamus, inter omnes symbolorum veterum partes,
 nullam magis diuersis formulis fuisse explicatam; quam
articulum tertium; neque primus fuit SYKESIVS, qui
 hoc moneret; sed alii doctissimi viri idem copiose ex-
 posuerunt. b) Sed si omnia, quae supersunt, rite in-
 uiicem comparantur, facile patet, eorum discrepan-
 tiam non sufficere ad probandam SYKESIANAM sen-
 tentiam. Id quod ut recte ab aliis cognoscatur, haec
 monemus. I) Ponimus, quod SYKESIVS adfirmat,
 doctrinam de mortuorum resurrectione antiquissima
 aetate fuisse creditam & inter articulos fidei relatam.
 Hinc concludimus, quaecunque symbola de resurrec-
 tione mortuorum prorsus silent, ea ita esse compa-
 rata, ut hoc loco nihil probent. Ea enim nec ad-
 firmant; nec negant, haec esse resurrectionis futurae
 rationem, ut corpora redeant, maxime si caussae co-
 gnosci

DE RESVRCTIONE CARNIS

23

gnosci possunt, cur de hac re sileant. Ad hanc clas-
sem referri oportet, formulam breuiorem IRENAEI,
e) si modo eam symboli nomine dignam iudicaueris.
Negat id SYKESIVS; neque ei libet contradicere. Ve-
re enim ea tantummodo recitat, quae de deo & christo
credantur: cetera, quae ab isto loco aliena sunt, consulto
omittit. Similia sunt symbola, quae ex ORIGENE, CYPRI-
ANO, altero TERTULLIANI loco repetuntur, eaque,
quae GREGORIO thaumaturgo & LVCIANO martyri
adscribuntur. d) Singula enim eum in finem com-
posita sunt, ut contra haereticos, vel schismaticos
ostenderetur, quid ecclesia de trinitate, aut ecclesia,
aut aliis definitis articulis credat, non qualis vniuersa
sit eius fides. Quare ea, quae tum in controuersiam
non vocata sunt; neque ipsis formulis fuerunt expre-
sa. Idem de symbolo censendum est, quod EVSE-
BIVS Caesareensis in concilio Nicaeno recitauit, e)
quodue recte a clarissimis viris creditur, commune
fuisse ecclesiae orientalis, cuius nobilis pars exstitit
coetus Caesareensis; f) nec probari potest, EVSE-
BIVM symbolum integrum voluisse recitare, quum
ipsi tantummodo propositum esset, suspicionem er-
roris Ariani a se dimouere; neque illa esset de resur-
rectione mortuorum disputatio. Tandem haec quo-
que ad symbolum in concilio Nicaeno compositum
referri oportet g). Hoc enim condendi quum prae-
cipua causa haec fuit, ut corruptae Arii de diuini-
tate christi doctrinae contradiceretur, & solemnis
formula, orthodoxos ab huius haeretici amicis discri-
nendi, constitueretur, quod Iesus Christus sit verus
Deus, nulla sane est mirandi causa, cur articulus ter-
tius

DISSERTATIO

tius breuissimis his verbis, *& in spiritum sanctum, terminetur.* b) Non opus est ultra concilium Nicaeum progredi, cuius quippe exemplum innumeris fere conuentus ad componendam litem Arianam congregati sequuti sunt, ita ut raro tertio articulo, extra contiouersiam tunc positō, aliquid adderent.

- a) v. c. p. 26. 30.
- b) conf. PETR. KINGIVM hist. symb. apostol. cap. vi. VII. p. 256. IOANN. PEARSONIVM in expos. of the creed art. VIII. seqq. p. 302. & V. S. V. IOANN. GEORG. WALCHIVM in comment. de veterum symbolorum in articul. de spiritu sancto discepantia inserta miscellaneis eius sacris p. 791. seqq.
- c) aduers. haeretic. libr. IIII cap.
- d) conf. JOSEPHI BINGHAMI orig. eccles. vol. IY p. 82. seqq.
- e) ex epistola EVSEBII ad Caesareenses illud recitauit SOCRATES hist. eccles. lib. I. cap. 8. & THEODORETUS hist. eccles. lib. I cap. 12
- f) vid. IO. CASP. SVICERVM thef. eccles. tom. II. p. 1094 & BINGHAMVM loc. cit. p. 97.
- g) conf. BINGHAMVM loc. cit. p. 109.
- h) vid. GEORG. BULLVM in iudic. eccles. catholice de necessitate credendi quod Iesus christus sit verus deus cap. VI p. 57.

§. XIII.

Ex ceteris, quae resurrectionem commemo-
rant, symbolis II) insignis est eorum numerus, *& anti-*
quitas, quae aperte formulam: resurrectionem car-
nis, aut corporis, exhibent, adeo ut impudentius
SYKESIVS negauerit, ante seculum quartum nem-
nem

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

25

nem illi in symbolis locum adsignasse. IRENAEV^S
 a) quum longiorem confessionem doctrinae recitaret,
 quam ecclesiam, per uniuersum terrarum orbem usque ad
 ultimos eius terminos diffusam, ab apostolis & eorum disci-
 pulis accepisse, testatur, de aduentu christi futuro
 haec subiecit: ἐπι το ἀνακεφαλαιῳ σαδαι πανταχοὶ αὐτοὶ^ς ΠΑΣΑΝ ΣΑΡΚΑ πάσοις αὐθεωποτοῖς. Num for-
 mula illa iure inter symbola numerari queat, nolu-
 mus disputare; hoc tamen patet, iniuriam sy KESI-
 VM Irenaeo inferre, quod suas, non ecclesiae de do-
 ctrinae christianaee capitibus sententias protulerit,
 si modo cogitaueris, IRENAEV M opus, ex quo haec
 desumpta sunt, contra haereticos scripsisse adeoque
 sine dubio magnam in eo collocasse diligentiam, vt
 ne adfirmaret, quae falsa esse facili negotio potuisset
 ostendi. Quae IRENAEV S in Gallia, eadem in A-
 frica credi, testatur TERTULLIANVS. Vix fieri
 potest, vt dubitemus, eum symbolum non priuatum;
 sed publicum recitare, quum haec scribit: b) regu-
 la fidei una omnino est sola immobilis & irreformalis cre-
 dendi, scilicet, in unicum Deum -- & filium eius Iesum
 christum --- venturum iudicare viuos & mortuos per car-
 nis etiam resurrectionem. Accedit, alibi TERTVL-
 LIANVM eadem repetere, licet formula paullo ver-
 boiore, expressa, quam interpretationem breuioris
 recte dixeris. Ibi c) articulum de futuro christi ad-
 uentu sic παραφράζει. Venturum cum claritate ad su-
 mendos sanctos in vitae aeternae & promissorum caelesti-
 um fructum & ad profanos iudicandos igni perpetuo, v-
 triusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione.

D

Eccle-

Ecclesia Romana ante concilium Nicaenum symbolum suum habuit; d) nec leuiores sunt caussae suspicandi, idem illud cum eo fuisse, quod nostra aetate apostolicum dici consuevit; saltem ab eo parum discrepasse. In eo vero *carnis resurrectionem* omnino locum habuisse, non solum RVFFINVS testatur; e) sed etiam HIERONYMVS, f) cuius verba digna sunt, quae hic legantur: *in symbolo fidei & spei nostrae, quod ab apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento; sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem trinitatis, & unitatem ecclesiae omne christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur.* Haec HIERONYMVS & RVFFINVS de symbolo tradunt, non recentiore aetate ficto; sed inde ab apostolorum aeuo, hoc est, ab origine rei christiana Romae vistato. Quamvis ipsi dubitemus, ante seculum secundum huius generis confessiones publicas esse compositas; sufficit tamen ad conuelendas SYKESII nugas, qui ante Ariminense concilium carnis resurrectionem partem symboli Romani fuisse, negavit. g) Potuerunt: immo pro more acui debuerunt episcopi ibi collecti articulos symboli, de quibus cum Arianis nulla lis agitabatur, silentio praeterire, licet eos alias symbolis exprimerent. Simili modo antiquissimum fuit symbolum Aquileiense, quod RVFFINVS magna cura & laudabili instituicio explicauit. In eo vero non solum *carnis resurrectione*, sed etiam huius *carnis resurrectione* exprimitur h). Addimus Alexandrinum; siue illud, quod, raro impudentiae exemplo, SYKESIVS ab Ario compositum esse, commentus est. Obluisse quidem illud

DE RESVRCTIONE GARNIS

27

Iud Arium & Euzoium, presbyteros Alexandrinos, Constantino imperatori, satis constat; sed quum se verae doctrinae addictos esse simularent, idque aliis persuadere vellent, obtulerunt symbolum vetus Alexandrinum, i) quod satis idoneum fuit ad fallendos alios, quos falli voluit Arius, siquidem nihil continebat potuit, quod prauis eius opinionibus aperte esset oppositum. Symbolum hoc exhibere formulam: ΣΑΡΚΟΣ αναστασιον, professus est Noster. Symbolum Hierosolymitanum, quale CYRILLVS eiusdem urbis antistes, catechumenis exposuit, itidem credi iubet εις ΣΑΡΚΟΣ αναστασιον k). De aetate constitutionum apostolicarum hoc loco non libet disputare, certum tamen est, earum auctorem non finxisse symbolum, quod recitat; l) sed recitasse antiquum, & usu orientalium receptum, cuius pars omnino est σαρκος αναστασιος. Haec quidem satis docent, articulum de carnis resurrectione omnino ante concilium Nicaenum in symbolis ecclesiarum publicis lectum fuisse, & conuellunt Sykesianum de eius nouitate commentum. Quare neque opus est, ad Athanasianum aliaque progredi, quae post Nicaenum condita sunt. Vnam tamen memorari oportet, formulam primam in concilio Antiocheno ann. cccxxxxi factam. Ibi lectum fuisse, refert SOCRATES: m) credo in spiritum sanctum, εις δε dei προδηνην πιστευομεν και περι σαρκος αναστασιος. Urget haec verba SYKESIVS, quasi proderent, antea istum articulum non extitisse in symbolis publicis. Sed fallitur. Quae enim supra de symbolis, ob controversias Arianas tollendas exaratis, monuimus, docent, aucto-

D 2

rem

rem huius formulae conditioni subiecisse hanc sententiam, hoc loco non opus esse expressa doctrinae mentione, quam ab utraque parte admitti constabat.

- a) lib. I. cap. 10. p. 48. edit. MASSVETI.
 - b) de veland, virginib. cap. I. p. 192. Oper. edit. RIGAL-TII.
 - c) conf. GER. IO. VOSSIVM de tribus symbolis diff. I. §. 30.
 - d) expos. in symbol. apost. p. 154. oper. Cypriani ed. Amstel.
 - e) epist. XXXVIII. ad Pamachium Tom. IV. Oper. p. 323. edit. MARTIANAEI.
 - f) p. 49. coll. p. 41.
 - g) conf. BINGHAMVM orig. eccles. tom. IV. p. 101. IOSEPH. BIANCHINIVM ad enarrat. Pseudo-Athanasi. in symb. p. 64. & IVST. FONTANINVM hist. litter. Aquilei. p. 383.
 - i) conf. SOCRATEM hist. eccles. lib. I. cap. 26. SOZOMENVM hist. eccles. lib. II. cap. 27. BINGHAMVM loc. cit. p. 95. & V. S.V. IO. GE. WALCHIVM introd. in lib. symbol. p. 20.
 - k) conf. BULLVM libello cit. cap. VI. p. 48. & BINGHAMVM loc. cit. p. 95.
 - l) add. summe venerab. IAC. GVIL. FEVERLINI disser. ad art. symbol. Aquilciens. de huius carnis resurrect. in hac academia ann. CICLO CCXLIX edit.
 - m) lib. VII. cap. 41.
 - n) libr. II. cap. 10.
- §. XIV.
QVM SYKESIVS formulam resurrectionis mortuorum

DE RESVRRECTIONE CARNIS. 29

tuorum a formula *resurrectionis carnis* sedulo distinguit, hanc oppugnat, illam commendat, III) mirari nos oportet, *vnicum symbolum idque priuatum ab eo inuenitum fuisse*, quo prior formula exprimitur. Quamuis in omnibus, quae supersunt, symbolis, vbi de *resuſcitione christi* est fermo, verba: *resurrexit ex mortuis legantur*; a) neque alia & magis determinata formula opus sit, siquidem de identitate corporis christi resuscitat nulla est dubitatio; nullum tamen exstat symbolum, quod eandem dictiōnē ad resurrectionem hominū transtulit; praeter illud, quod EPIPHANIUS b) recitauit; aut, si maius, bina, quae uno eodemque loco adulit, parum inter se diuersa. Maiorem igitur fuisse oportet veterum consensum in confitenda *carnis resurrectione*; quam mortuorum resurrectione.

a) conf. PEARSONII *expos. of the creed artic.* V. p. 252.
& KINGII *hist. symb. apost. cap.* V. §. 3.

b) anchorat. num. C-XX. tom. II. oper. p. 121, 123. edit.
PETAVII conf. BINGHAMVM loc. cit. p. 103. seqq.

§. XV.

IDEM confirmat insignis testimoniorum copia, quae doctores sacri ordinis de carnis resurrectione reliquerunt. Quamuis SYKESIVS, qui sentit veritatis vim, aliis persuadere audeat, non nisi seculo christianorum secundo hanc doctrinam patribus placuisse; facetur tamen, ab isto communem eam fuisse illustrum virorum sententiam. Addimus igitur IV) dogma

D 3

de

IX.

de resurrectione carnis tanto consensu a patribus quatuor priorum seculorum repeti & confirmari, ut nefas sit, illud inter opiniones priuatas referre. Vrget quidem SYKESIVS silentium patrum, qui apostolici vocari solent, & ne quis ei obiciat clarissima verba CLEMENTIS Romani a) μη λεγετω τις θρων, ὅτι αὐτη ἡ σαρξ & νεφελαι, ἀλλα οὐσιαται, ex epistola spuria desumi, adfirmat. Nolumus hoc loco auctoritatem eius tueri; sed miramur, SYKESIVM reiicere hanc epistolam; habere vero BARNAEAE litteras pro genuinis, de quarum antiquitate dubitandi longe grauiores exstant causae. Praeter haec qui cogitauerit, quam exigua sit moles scriptorum primi seculi, ille facile concedet, SYKESIVM abuti argumento, quod a silentio ducitur. Sufficit, quod nec vir doctus dissimulat, seculo secundo & tertio patres omnes, quorum monumenta supersunt IVSTINVM MARTYREM, TERTULLIANVM, IRENAEVM, CLEMENTEM Alexandrinum CYPRIANVM aliosque uno quasi ore hanc doctrinam professos esse. Quorum quidem testimonia recitare, quum per temporis breuitatem nobis non licet, ad alios, qui hoc labore perfueri sunt, lectores alegare nos oportet b).

a) epist. II. cap. IX. p. 240. edit. WOTTONI.

b) conf. BALT. BEBELIVM antiquit. eccles. in tribus priorib. post natum christi. euangelic. p. 302. 812. & sec. IV. tom. II. p. 591. IO. GVIL. BAIERVM comp. theol. hist. p. 690. & IO. CASP. SVICERVM thes. eccles. tom. I. p. 512.

§. XVI.

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

31

§. XVI.

VLTIMO denique loco caussas addere liceat, cur doctrinam de resurrectione carnis in symbolis exprefserint veteres christiani. Contra homines quidem profanos, philosophos *a)* doctoresque prauos, *b)* qui omnem mortuorum resurrectionem negabant, sufficiebat docere & profiteri, *mortuos resurrecturos esse*. At vero quum alii iis accederent, qui simulabant, se credere redditum mortuorum, sed huic formulae falsam subiicerent notionem, ita vt modo allegoricam admitterent resurrectionem, siue factam; *c)* siue futuram; modo eam tantummodo ad animas referrent, vt statuit Marcion & Archontici, *d)* necesse fuit, vt apertius loquerentur orthodoxi, & resurrectionem corporum exprimerent. Eadem vero voce quum alii ita abuterentur, vt nouis corporibus nos induendos esse, fingerent, carnis resurrectionem dicere maluerunt, teste HIERONYMO *e)* & tandem Aquileienses, quod RUFFINVS haud obscure significat, contra Origenem siue potius eius ad seclas receperunt formulam: *buius carnis resurrectionem f)*. Quae omnia a viris doctis *g)* latius exposita, vix dubitare nos, patiuntur, quin antiquissima fuerit de hoc articulo concordia, quod inde a seculo secundo haeretici iudicati fuerunt, qui fecus sentirent.

*a) act. XVII. 18.**b) I. Cor. XV. 12.*

*c) patet id exemplo HYMENAEI & ALEXANDRI I. Tim.
1, 19, 20. Conf. V. S. V. IO. GEORG. WALCHIVM
miscellan. sacr. p. 90.*

d)

32 DISSERT. DE RESVRRECT. CARNIS.

d) EPIPHANIVS loquitur de illo, *haeres. XLII. tom. i.*
oper. p. 304. de his haeres. XL. p. 292.

e) *ep. XXXVIII. ad PAMMACHIVM tom. IV. oper. p. 323.*

f) *conf. S. V. FEVERLINI comment. laudat. p. 56.*

g) *conf. PETR. KINGIVM bish. symbol. apost. cap. VI.*
§. 28.



NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
CHRISTIAN. AVGUSTO
HELMKAMPFFIO

S. P. D.

CHRISTIAN. GVIL. FRANCISC.
WALCHIVS.

Bene eos agere, omni tempore sapientes viri iudicarunt, qui ingenii ac diligentiae specimina edunt, antequam ex academiis discedant. Quum ab aliis iure exspectari, probe norunt, ut adquisitas doctrinae opes ad aliorum usus conuertant, insignem nanciscuntur opportunitatem, tum, quae consequenti sunt, eruditionis ornamenta explicandi & in aliorum conspectum producendi; tum sibi ad capessendos industriae fructus parandi viam. Quae dum cogito, consilium tuum, vir praestantissime, in amplissimo virorum doctissimorum consensu de grauissimo doctrinae christianaee capite disputandi, maximopere mihi placet meque officii admonet, tibi de confessio bene laudabiliterque virae academicae cursu & de primis ingenii, quas in lucem publicam emittis, gratulandi. Etenim in conscribendo libello, quo bonam

E

satis-

causam contra doctissimum virum agis, tantam diligentiam collocasti, vt meae quidem expectationi rite latisfaceres. Quamuis ad eum perpoliendum ornandumque posteriores curas me adhibuisse, non dissimilem; maxima tamen eorum pars, quae tum ex codice diuino; tum ex christiana historiae monumentis ad conuellendas SYKESII opiniones adlata sunt, a te profecta est testaturque & ingenii tui paestantiam & sacrarum litterarum notitiam, quam in scholis & Helmstadienium; & nostratrum theologorum tibi comparasti. Nec metuo, ne poeniteat te laboris, quem felicissime perfecisti; sed precor potius, vt vberiora commoda inde ad te redundant. Id quod vt fausto contingat, immortalis deus gratiae suae prasidiis semper te frui iubeat tibique quaeruis laeta & prospera largiatur. In academ. regia Georg. Augusta d. XVIII maii ann. gratiae reparatae

CICIO CC LVIII.



153.516

X 2310927

R

B.I.G.



DISSESSATIO THEOLOGICA
DE
RESVRRECTIONE
CARNIS
ADVERSVS
ARTHVR. ASHLEY SYKESIVM.

PRAESIDE
CHRISTIAN. GVIL. FRANCISCO
WALCHIO

S. THEOLOG. DOCTORE ET PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO COLLEGII THEOLOGICI
H. T. DECANO

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

D. XXI. MAII CLOCCCLIX.
PVBLINE EAM DEFENDET
AVCTOR
CHRISTIAN. AVGVST. HELMKAMPFFIVS

CLUSA - GANDESIENSIS
SANCT. DISCIPLINAE CVLTOR.

GOTTINGAE
EX OFFICINA SCHVLZIANA.

